

none remittitur ob sterilitatem, hostium incursionem, inundationem, reliqua. *L. I. C. h. r. inf. §. III. Inst. locat. Voet. ad π. h. r. n. 16.* Idem videmus in bonis zu **Waltz** Recht / teste membrana nostra. Emphyteusis in commissum cadit ipso iure, canone non soluto hoc pariter. Licet tempus soluendae pensionis pactis determinari queat, vt in nostra specie factum est. Hodie praedia culta in emphyteusin dari possunt, *Auth. si quas. C. de SS. eccles. Nov. CXX. cap. 1. §. 2. Frantzk. lib III. resol. III. n. 65.* itidem Ospertus noster tale accepit,

§. XXXXII. Quapropter neminem subibit mirari, qui fiat, vt in chartis latinis das **Waltz** Recht nominetur emphyteusis. Et ne regeras hoc semel fieri: Ecce plura testimonia, quae (vti praecedens de domo zu **Waltz** Recht data testabatur) de bonis, zu **Waltz** Recht concessis, nos docent. Charta MSS. anno clcCCCLIII. hoc nomen quoque fert. *Widekindus enim de Tuuiste concedit II. hortos monasterio - - iuxta - - singulis annis III. solidos graues cadentes de VI. agris sitis in monte iuxta molendinum de iure nemorali id est emphyteutico, quod vulgariter **Waltz** Recht vocatur.* In alia charta MSS. sic legitur: *Anno clcCCCLII.*
Nos